109 248

PVBLICA SPES

QVAM

24

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

INNOCENTII X.

PONTIFICIS OPT. MAX.

XVII. Kalendas Octobres

Auſpicatò inagurati Principatus
CHRISTIANO ORBI
aperuit.

Ab Andrea Innocentio Olszovvski Canonico Gneſnenſe Polono religiosè propoſita.

34-10-F-12 -

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Ex Typographia Ludouici Grignani. MDCXLIV.

Digitized by Google

Google

170 249

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. CAMILLO PAMPHILIO

SS.MI D. N.

INNOCENTII X.

PONTIFICIS OPT. MAX.

MAGNO NEPOTI

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

GENERALI.

QVIDQVID hoc linearum Beatiſsimo Patruo Tuo ductum eſt, gratulabundus Tibi, & meritò cõſecro PRINCEPS EXCELLENTISSIME. Repudiabat PVBLICA SPES (quã ſcripſi) aliud fronti ſuæ nomen prætendi, præter Tuum: qui ſublimi indole, & vigore iſto animi non modicam imples SPEI PVBLICÆ portionem. Audaciam propè fuerit, humilitate iſta ſermonis grandia moliri; ſed quis affectui legem dixerit? Ipſe gaudiorum impetus, æſtuantiſq;

Google

animi calor vocem elingui protruſit; & iuſsit eloqui, potentiori quadam vi, quàm fabuloſum Cræſi filium, non ſilere. Meliùs tamen hæc (inquis) viri graues, & capite, iudicioque iam cani; tu dicendi rudis, nulla virtutis claritudine; quæquè alia ſeræ ætati obiectamenta. annuo; & vobis plena meritorum Nomina venerabundus poplitem flecto; ſed propè eſt, vt gratuler infantiæ hic, ac ruditati meæ; vt cùm clamore diſſono, ſtridentique percutiam, compoſitos inter plauſus efficaciùs audiri, ſignariq; poſsim. Neque ſterilitas hic, & fruſtra ſe torquentis ingenij caſſus labor; præuertit res ipſa Oratorem: calamuſq; priùs (ita dicam) parturit, quã mens prægnat. Ac, defuerit induſtria, nulliq; difficultati non par conatus; grandem profectò contexuit INNOCENTIO X. Panegyrim, qui eum ſuo nomine compellauit. Claudit hoc nomen quantùm laudum eſt, quia & quantùm virtutum: nec INNOCENTIVS in mentem venit, niſi & ſimul ornamentorum omnium longum agmen. Vberiùs de his negat propoſiti ratio, & feſtinandi neceſsitas. De me teſtatũ breuiter ſit, ſcripſiſſe hæc venerationis, affectuſq; plenum, & vel ſic, cum magnitudine molis deiectus procumbam, adorabundum. Tu PRINCEPS EXCELLENTISSIME, qui PVBLICAM SPEM laudabiliter foues; & Authoris, boni conſule.

Digitized by Google

PVBLICA SPES.

QVI luctus atquè dolor Terrarum Vniuerſa confuderat, cùm viduata Eccleſia, mæſtum & lamentabile Iuſtitium indixiſſet, Orbiſque planè totus ſquallore acerbiſſimo cõflictaretur; eum depulſa tandem lugubri velut animorum nube, in fortunatam, & amicam gaudiorum Serenitatem reſplenduiſſe, iure gratulemur. Magnitudo iſta, & adoranda Cæleſtis potentiæ fortitudo, quæ ad humanas conuerſiones, præſens ſemper & accincta, ſummæ plerumque lætitiæ pares ſuccenturiat dolores: & nè continuus rerum ordo vertatur, facilemquè vtrolibet corrumpi mentem euertat, alterno

Digitized by Google

diſpenſat choro, gaudia, & gemitus; vt cum vel maximè miſeri ſimus, prodeat exinde aliquid, quod miſerorum calamitates releuet, beatoque ſinu tranquillam, & florentem Orbi aperiat Fælicitatem. Recens adhuc exemplum, & quod hauſere oculi, quod triſti imagine vibrat, meditaturque animus; grande illud, & ſuperbum Fatorum ſpolium, illud Immortalitatis ſepulchrum, illud virtutum & Laudum compendium VRBANVS VIII. Vix dùm Supremus ille Terrarum mortales induuias depoſuerat, cùm orbitate ſua calamitoſæ Sponſæ lugubria circumdedit: lamentaque omnium, & querelas euocauit; quia Amores merebatur. Ac duraret nobis lacrymarum pietatiſque conſtantia, ſi non Diuina conſilia interceſſiſſent: quicquid in VRBANO VIII. gaudiorum, & publicæ Spei amiſeramus, cum INNOCENTIO X. felici viciſſitudine reponendo. Rediit tandem poſtliminiò ſerena Populorum facies, dum tu B. P. Cælorum, & Terrarum ſuf-

fra-

Digitized by Google

ſragijs inauguratus, venerandum Maieſtatis Pontificalis Tribunal, probitatis & prudentiæ tanquam gradibus aſcendiſti. Deceſſit ille, qui totum planè ſe retroactis temporibus effuderat, dolor; nè quid iam tandem, quod aliquando doleremus ſupereſſet: an & ſtipendium nobis rationemque iactat, quaſi prudenti conſilio in hoc nimirũ profuiſſet, vt præſenti erumpentium affectuum luci velut vmbram fæneraretur. Et eſt profectò tanti doluiſſe; quãdo nihil æquè lætitiam nobis gaudiaque exaggerat, quam contrariorum obiectus: vt à lugubri plerumque celeuſmate lętior vegetiorque cõcentus ſurgit; magnæque ſæpè Victoriæ, & Triumphi abierunt, quando leuioribus diſpendijs cladibuſque prælusum eſt. Fuerint ergo durauerintque, quos atrata Eccleſia nobis præſcripſerat dolores; ſi iam eiecti, ſedibuſque quas occupauerant detruſi, nihil duntaxat à tergo reliquerunt, præter ſecuritatem gaudiorum noſtrorum: vt ſublato inſidiantis mali metu, fidentiùs

tandem animoſiùſque lætemur. Nam quis mortalium iudicijs obliquus, & infeſtus, & bonorum ſęculi parùm intelligens, ad lætitiam ita occaluerit; vt non apertè prorumpat; habitumquè & vultum menti induat, qualem SPES PVBLICA, & naſcentium temporum cōditio imperauit. Aut quis deterioribus pronus haruſpex, non alleuetur ingenti animo, magnũque Fælicitatis ſurgere diem portendat? cum in ipſo Solis exortu, & primo iubare, nondum euibratis virtutum radijs, iam plena maturaque Beatitudinis lux oborta ſit. Tua hæc Diuina virtus, atque mens B. P. quicquid denſatum in nubes coiuerat, minabaturque tempeſtatem, validiore ictu diſcuſſit ac diſſipauit: æternas placidaſque Orbi Serenitates fundatura; quia ſplendoribus iſtis amica, & concolor. Tuæ ſpectatæ Prudentiæ, & Probitatis recordatio, attollit nobis, augetque in immenſum animos, non præſentium tantùm amænitate & fructu; ſed certitudine & fiducia venturorum. Obuerſatur

Digitized by Google

animo, ac (qui præſidentium ritus eſt, tempora anticipare) inſinuat ſe PVBLICÆ SPEI beatitudo proxima; & quò tandem magna Fælicitatum incrementa ſe porrigent, qui publicus PATER vix auditus es, cùm ſubita quadam, & grauida Populorũ ſolatijs fęcunditate, publicam lætitiam, adultaque gaudia peperiſti. Sed occupauerint alij facili in laudes decurſu, quæ vel incurioſis mentibus ſemet obtrudunt; cum beatis Nominibus Tuis pulcherrima quædam omina inſederint, & GRATIA, & AMOR, & mille gratijs, milleque amoribus digna, ac velut Decumana INNOCENTIA. Commodent Orationi grandem materiam, non è viſceribus & fibris mutuata auguria, ſed Bonam Tuam Auem: quæ pacificæ Arboris ramum prætendens, non ſæculi illius, deliciarum? an mendaciorum riuo manantis fabulas, (quæ theatrorum, & cauearum plauſibus ideò aptabantur, vt lactis & mellis dulcedine Populus aures oblineret, cum vacuo ventre plenam egeſta-

tem

Digitized by Google

tem abſorbuiſſet) ſed æternum, Pacis, Cõcordiæ, Tranquillitatis fructum plantabit, germinabitque Orbi nobiliorum palmitum luxuriem

——————————*Vt vile virentes*
Rideat Heſperidum, quos ditat fabula, ramos

Claud. Honor. conſ. 4.

Magnum hoc B. P. & ingentibus Spei auxilijs firmatum, accepiſſe nomen, quod niſi acceperas conſenſus Tibi & vox Populorum dixiſſet. Magnum dico, incluſam pectore bonitatem, non affectu tantum, ſed titulo prodere: data hac velut arrha & obſide Saluti Publicæ, vt audire iam nõ poſſis, niſi Grande illud, & cedro ſcribendum Magni Imperatoris Elogium *Princeps Sui nominis*. Nec inane, pulcherrimum Stirpis & auitum decus ceris annuloque proferre, quo tranquillitatem perpetuam nobis obſignares: feſſoque Orbi, & diuturnis calamitatum fluctibus quaſſato, ſubſidiariam tabulam proponeres, ac in ea ſignum, in quo ſperaret. Sed hæc cum magna omnia ſint, mirèque Sanctitati Veſtræ congruentia, leuiùs tamen

Vopis in Probo.

inter-

Digitized by Google

interdùm habentur, tanquam aliena, & extra iacentia, ſiue quæ imputari poſſint: cum emerſerint aliquando portenta illa hominum, Centauros appellauerim (neſcio enim quod eorum turpidini meliùs nomen adæquet,

—Fronte homines, ſed equorum terga ferentes) Ouid.

qui proſcriptas animo virtutes in titulis ferebant, & vanitate nominum mortalibus blandiebantur; vt proſternerent, eò afflictiores, maiorique perfidia ſubuerſos; quò ſecuriùs fidebant. Illud vnum profectò eſt authoramentum PVBLICÆ SPEI, & pignus integritatis, quo nemo decepit, conſtans, & magnis experimentis docta, exploratàque virtus. Nam faciliùs quis à vita quam à virtute diſceſſerit, ſi ſociali quodam parique nexu, fæderauit virtutem & vitam: vt viuere planè non poſſit, nec deſinat, niſi virtutis (ita dicam) interitu, aut vita. Nec mihi quiſquam obiectet Quinquênium Neronis, funeribuſque tantùm Patriæ, & ferali cupreſſo Cæſariata nomina. Nego aut

Plau.
Apu.
de mu

Tv-

Digitized by Google

Tyrannos illos fuiſſe, ſi virtutis cenſum habuerint; aut cũ Tyranni fuerint, illum aliquando habuiſſe. Vocem Neronis attende, qui cunctabundus atque hæſitans, Tanquam neſcire vellet literas, manum de tabula ſubduxit. Egregiè ſanè, & verbis fidem nè detrahe; Ecce ſe aperuit, addiditquè Orationi pondus, cum ei à quo nempè didicerat, venas reſoluit; credo, vt ſe dicti verecundia abſolueret. Audiſnè? Color ille, & fucus, & pietatis imitamentum fuit (improba; ſed quoties parando regno finguntur!) & quidquid potiùs, quàm virtus. Aſſurge tandem SPES PVBLICA ad Beatiſſimi INNOCENTII X. nomen (cum nomen audis virtutem adora) nec pudeat Fælicitatem tuam & Fata ex me diſcere. Non me Bacchus thyrſo percuſſit, neque Mercurius caduceum dedit: & cælum Mathematicorum non curo, & Aruſpicum exta cõtemno; vocem tamen tibi dabo multo præſagio, multo ſenſu grauidam; Talis futurus eſt inauguratus Princeps, qualis fuit.

Seneca de clem. lib. 2.

Tacit.

Google

fuit. Et piaculum erit, ſi addubites. Vidimus integritatem, & Prudentiam viri, videbimus; mirati ſumus incorruptam, nullique fortunę obnoxiam mentem, mirabimur; cedetque iam pompa ſua ſuperbum illud miraculum, *Idem Priuatus & Imperator*, quia ceſſit, quādo tu B. PONTIFEX ad gubernacula Imperij acceſſiſti. Neſcio an duobus hoc decus obuenerit, niſi Tu alter ſis, inferior tamen illi, quia vetuſtate, & mendaci facundia præſtat; ſed potior, quia Tu veritate. Neque potentiam Principatus, & cōmutandis moribus ſolers ingenium perhorreſce, nam nō illi Principi noſtro mores, in quos poſſit. Fruſtrà virtutum ornamenta illa mutare moliatur, ſi tota ſe mole accinxerit, non mutabit, niſi mutari ita arbitremur, vt quæ priuata fuerunt, Pontificalia iam ſint, latebriſque, & parietibus clauſa, Terrarum ſpatia, & ſepta tranſiliant. Digna hac luce Sanctitatis veſtræ amplitudo, Cælum tantum pro termino habere, quæ mortalium anguſtias euecta, non

Plin. a[d] Traia[n.]

Digitized by Google

alium animo ſuo præſcripſit Terminum, prætor Cælum. Limites ponere antiquitas habuit; eratque, qui Oceani littoribus ſuperbus Triumphales Columnas fabricauerat, addito oſtentationi trophæo; NON PLVS VLTRA. miſer, qui ſtabilem gloriam, Aeternitatemque firmabat, tam leui, & fluctuanti fundamento: an & ineptus? quaſi nihil vltrà Terras, niſi Oceanus; & vltrà Oceanum nihil. Succeſſit aliquis melioris notæ, & inſolentiam ſcripti, capite mulctauit: egregio ſanè prudentiæ virtutiſque documento; adhuc tamen deliberandum reliquit, Ambitionè illud ſcripſerit, an virtus? quia par turpitudo eſt, cum vaſtitatem animi mundo circumſcribis, NON PLVS VLTRA inſcribere; cùm protendis, retorquere, tamen oculos, animumquè PLVS CITRA: Magnificum hoc & ſingulare Tuum decus BEATISSIME PONTIFEX, alterno neutiquam corrumpi, columniſque illis penitùs non adhæreſcere: vt dignus tandem videaris, cuius magnitudinem gloriæ Or-

[margin: ...m Stra... lib. 1.]

bis

...d by Google

bis non caperet;quando non animi capiebat: Altior Tibi mens, quidquid humilitati noſtræ Supremum videtur, deſpexit animosè: Terminaliſque hìc tantùm lapis, non qui peregrinũ ſiſteret, curſumque metaretur; ſed qui viam ſignaret, acclamatetq. PLVS VLTRA. Animaduerto, quid dicendo opus ſit,de Sanctitate, Integritatequè Tua; ſed hęc prominentia per famam non ignorat Orbis; quanquam in eo Tibi non modicus labor, vt ignoraret. Laborabas enim Pietati Tuæ ſecretum, dare, vaſtiſſimumque illud rectè factis theatrum, quando nullum: niſi vel rebelles in nomen ſuum cellæ, violaſſent Tibi fidem, vt affirmarent nobis: vel diù obſcurari,& intercludi ignis potuiſſet; cuius ardentes ſtricturæ, interdùm palàm emicabant. Procliuiùs quiddam eſt, non eſſe Sanctum, quam non audire, cùm ſis. Ipſa Vrbis vox, ipſe iudicantis hic Populi ràrò fallax conſenſus, cui nunc Sanctiſſimo adorabundus procumbit; Sanctũ aliquãdo circumtulit: non linguæ volubitate,

& placendi ſtudio, (erat enim ante i   ni-nam) ſed ratione, & iudicio: & quia ſic habebaris. Durabis ergo (repeto) Princeps, qualis priuatus fuiſti; audaciam dixerit quis? imò, corrige humilitatem ſermonis Oratio? Qualis non fuiſti. Nam fruſtra Te Principem, à te priuato metiamur. Acceſſit Sanctitati Nominis Tui, ille, qui altiùs aſſurgere non poteſt, gradus: immenſoquè planè auctu ſuccreuit PVBLICA SPES; quia virtus Tua dignitaſquè creſcere vltrà non poteſt. Non ſumus arrogantes, & vota noſtra trans modeſtiam non propellimus: ſi non hoc nouum quoddam, inauditumquè ambiendi genus, cum virtutibus Tuis Spes noſtras promouere. Modeſtiam tamen haud difficulter argues; quando Spem, quæ plerùmque ſeipſam præuertit, non præcurrimus Te, ſed ſequimur. Nam, præſtare Tibi, quàm ſperare nobis, velociùs. &, ſi Spem publicam fine tandem aliquo cõcludemus, valdè aberrabimus; quia infinitum quid nobis Integritatis

Tuæ

Digitized by Google

Tuæ, Prudentiæquè gloria pollicetur. Sed ecce cum SPEI PVBLICÆ alluderet, præparetque altiora animus, ad Prudentiæ nomen penè reluctans hæret Oratio: quia nihil æquè validum potenſque fundare publicas Spes, quàm virtutum omnium fundamentũ hoc, & robur. Addo; Pietatem laudare in Principe, laudare hominem eſt; prudentia verum, & palmarium Principis decus: nam ſine illa nemo Princeps; aut ſi Princeps, hoc tantùm titulo, quod cladium, euerſionum, malorumque omnium principiũ debet. Magnum eſt (fatebor) admittere in ſe Rei Publicæ molem, & totius Orbis Fata ſuſcipere, & in tam arduo Cælique proximo ſtare faſtigio: ſed hęc ipſa, quam loquimur altitudo, more ſuo mentem vertigine cõuoluit: ac nemo ſe vnquam, nemo alios in pręceps dedit; niſi qui eminentiùs aſcendit. Habenda ergo eſt velut ſaburra aduersùs iactationem, & fulcimẽtum quoddam, cui vacillantem animi infirmitatem reclinet: quæ veſtigia

fluxa,

Digitized by Google

& Baiani littoris pigritiem, & de ruderibus vetuſtatum immanes fabulas; ſed nobiles curas, virtutumque Tuarũ longam pandet hiſtoriam. Quid illa magiſtra prudentiæ? alienæ tamen virtuti ſera, cùm ſeria ſuffragatrix Hiſpania? etſi non mirari obſtinatum habeat, ac virilè contumax, magnitudini Tuæ naturam ſubmiſit, mirataque iam eſt virtutem: ſiue nõ mirata, cùm ſtupuit; qua Tu Prudentia Potentiſſimi Regis PHILIPPI IV. conſilia promouiſti, qua dignitate Legationis Prouinciam executus es, quàm intenta rebus Eccleſiæ cura; ingens libertatis, & animi, quem nullus ſiniſter affectus libauit; niſi hoc ſubiectioni proximum ſit, quod Te SPEI PVBLICÆ, votiſque communibus mancipares. Taceo illa, quæ planè attonitum perſtringunt animum, quãtus ROMAE fulſeris, qualis in Tribunali, quis in Curia, quam multus in Comitijs, quibus integritas ſaluſque Eccleſiæ fundatur? expoſitus omnibus atque obuius, ad miſerorum voces decliuis,

tatis, donec vnus eligatur, multos deſtinandi; non quia non pares illi, ſed quia Tu potior eſſes. Comitabamur & nos votis, Teque præſertim oculis, Te animo: portiſque iam nobilitatum ſpectaculi claudentibus, ambitio quædam inerat, arcanum illud obſidere, & cancellis omnibus prætendi, & per contumeliarum gradus adrepere, perque ſpiramenta rimarũ ſuſpiria ægra fundere; noctem operiri, Solem præuertere, & de Te vel muros percunctari: ire, redire, clauſtris iraſci, appellare obuios, ſperare ſemper, frangi aliquando; non quia ſpes nobis animuſque exciderat, (nam cum SANCTISSIMVM electum iri fides conſtaret, nulla videbatur fortunæ alea pertimeſcenda) ſed quia virtutem Tuam, prudentiamque amabamus, etiam (qui amantium affectus) nonnunquam & metuebamus. Abſoluit tandem calamitatem anxiam, ac vota noſtra Aeternus ille Dies; impoſuitque beneficio ſuo, & diuturnæ expectationi magnum diem. O diem illum Principem,

C Fæ-

Digitized by Google

Fælicitatis, & verè natalem PVBLICÆ SPEI. O calendas Octobres? nõ tam Solis ſui, quàm Tui ſolij obuentu memorandas. Nemo gaudiorum eruptionem, & animorum non ſe capientium planè impotentiam, ſtylo impleuerit. Vt cùm æſtiuis hybernarum niuium additamentis Danubius aut Rhenus intumuit, iratoſque fluctus voluens, & horridum infrendens, reuulſis tandem continuò morſu compedibus, & carcere, prorumpit ſe animoſus, euagaturque turbine quodam quà campus eſt: Ita cũ cardines illi Portarum laxati patuerunt, Tuque amænitatis noſtræ Baſis, & Cardo; in lætitiam non ibamus, (leue hoc verbum) ſed impetu rapiebamur. Nullus affectum, & linguam ſub officio continuit; abierantq; nõ pauci à dignitate morum, & conſtantię profeſſione, cũ veſtigio ſuo malè coerciti, prorumperent ſtationibus, & corporis manuumque iactatione, quæ grauitatem æquè dedecebat, ac vincebat, & verborũ quadam amica inclemẽtia, & oculorum vere-

verecundè audaci coniectu graue nõnunquam beatiſſimis auribus Tuis impingerent; arbitrij quidem ſui ſermonē eſſe, non eſſe taciturnitatem. Nec reſedit gaudiorum (vt natura violenti amat) impetus, aut laſſitudine interruptus, reſtinctuſque eſt, qui verecundia Tua, & pietatis affectu flammabatur. Vidimus enim humeſcentes oculos Tuos, demiſſumque rubore vultum, & lætitiæ lachrimas; gaudiaque in maius, ac vota concipiebamus, ne quando Tibi non eadem lachrymarum causa; vtque amore Vrbis, & Orbis ſic ſemper fleas. Pulchrum, ò terra! & dignum DEO ſpectaculum, Princeps ille, cui ſceptra procumbunt, cui Reges inclinant, cui Mundus ſternitur, Cælum patet; ille Vicarius Chriſti, Sponſus Eccleſiæ, Firmamentum Orbis, Paſtor Populorum, compendium dabo, ROMANVS PONTIFEX, affectus ſui & Maieſtatis propè vix potens; niſi hoc ſupra maieſtatem ſit, ad illius normam ſemet componere, qui cum deſpiceret ſuper turbam, vide- *Plin. in Paneg.*

rum de Te exiſtimatio B. P. hoc irritamē-
tum auguriumque PVBLICÆ SPEI; quam
ego, peccaſſe mihi nimis videor, quia
Spem dixi; & deleo; quādo non fiduciam
tantum beatioris æui, ſed robur & veri-
tatem habemus, dum Te PONTIFICEM.
Non poteſt ignis non igneſcere, affirmant
cathedrarij: Tu pariter beatitudinem in *Senec.*
nos deriuabis, cū beatus ſis, immenſumq.
beatitudinis quoddam, & Magnum Ma-
re. Nam quis præterijt dies, qui ab ipſo
Principatus Tui exordio non quàm plu-
rimos beatos fecerit, & Te ſalutare quod-
dam rebus afflictis Numen per ora mor-
talium vulgauerit; eo ipſo vltra amores,
& delicias generis humani prouectum,
quod non tantùm perdidiſſe diem, ſed *Suet. in Tito.*
nec beneficium conqueri poſſis, quando
in eos collocaſti, qui vigorem animi, non
priuatis neceſſitatibus, ſed publicæ vtili-
tati ſtrenuè, egregièque locabunt. Ma-
cti animis eſte, ò viri? macti virtute?
Onerosum neſcio quid iudiciū illud vo-
bis indixit; quia placuiſtis: moles tamen

iſta

iſta prona vobis, & ſuſtineri facilis; placeatis. Placendi autem vna ſemita, ambitionem priuatæque rei compendium vilia, & poſt virtutem habere. Hic ſtimulus tantum peragitet, hæc cura mentibus inſideat; vt probetis, Quales tandem viros INNOCENTIVS X. ſibi ſepoſuerit. Verùm ego qui Spei Publicę nomen ante damnaui, reſumere iterum neceſſitate? an iudicio coarctor: & me iam ipſum voto abſoluo, dùm vltra pomæria Vrbis vota extendo. O ſi fas eſſet mortali mihi ergaſtulum hoc, & cuſtodiam corporis egredi, Terrarumq́. Orbem latè peruagari; quod argumentum illud oculis ſeſe oſtenderet? quàm arrecta ad nomen tuum PVBLICA SPES? quanta ambitione aſſurgit? quàm collecto planè ſpiritu anhela, confuſaque dolori lætitia, decurſa malorum tempora & imminentem verſat Fælicitatem. Verba ego proferrem, voceſque geſtientis; ſed nihil tam verborum fęcundum, quàm calamitas; & publicam lætitiam anticipati dolores ipſo ſilentio perorant. Vides B.P.

hunc

Digitized by Google

hunc qui ſub ſole eſt Vniuerſi ambitum, (neſcio, quod nomen illi aſſignem? ſed maiores Mundum dixere) ſanguine rubentem; an pudore erubeſcentem? Quo enim ſupercilio obduret? ſi titulum iactat, quem non habet; ita pollutus cladibus, multaque cæde infectus, vt appellari, niſi opprobrio & contemptui, non poſſit. Nobilitatem etiam Cannæ amiſere, cum tractus in bellum Orbis, non camporum iam, ſed ſuis ſpatijs exercitus claudere vix poteſt. Res ineptiſſima fuerit, ſi calamitati pondus adijcere laborem; nam quiquid dixerim, magnitudinem infrà iacebit. Corpora illa primæuæ & illibatæ ſimplicitatis, crudelitas mortalium miſcuit adeò, & confudit, vt dubitare procliue habeam, an ſciat Philoſophus; quid ſit Elementum? Bibitur aqua, non cryſtallo quondam ſuo, natiuoque ebore niueſcens, ſed mortalium cruore maculoſa, & turgida: paniſquè vitæ alimentum præbet, cui vel hoc nempè in obſonium vertit, quod occiſarum gentiũ

cada-

Google

cadauera, & tabum fecēre pinguiorem. Ac ſi magnorum Heroum ſepulchris priſca religio maneret, iam terra quæ calcaretur non eſſet. Aer etiam grauis, & carnifex, quem ſpiritum dare habet, præfocaret; ſi immortales animæ, veteri Sapientum edicto, in auras vacuarentur. Neſcio quod Sydus Erebi peſtilentem quandam mentibus inſaniam afflat, cæſorumque parentum furias in filios tranſfundit: adeò non mora, & diuturnitate ipſa lentior Mars, ex vulneribus etiam & cædibus ad bella recrudeſcit; iamque arma barbara immanitate truncādis ceruicibus obtuſa detrectant obſequium, quæ tamen proiecta rabies, & profligatus furor exacuit, veſanaque illa non tam regnandi, quam regna perdendi libido. Miſeranda hæc; & (miſerū) ſupra humana remedia: non ſupra Tua BEATISSIME PONTIFEX, qui (verbi enim periculum *Putea. ſ. ex. 1.* quid timeam?) non homo es, aut ſi homo, ſupra homines tamen. Tu fatiſcenti iam, concuſſoque Orbi ſubnixus DEO, dex-

teram

teram ſalutarem protendes; illam inquam dexteram, ad cuius imperium ſequax & obſecundans, flexu non contumaci circumuertitur Terrarum res. Vt nec faciliùs illi Turbarum Aeoli, neſcio cuius malè ſanæ Deæ compulſu, ventorum rabiem inſtigauerint, quàm à beato nutu Tuo ſedebit; quem Suprema Cælorum conſilia temporibus planè iſtis prouidiſſe videntur, ne aut deeſſet Orbi INNOCENTIVS, aut quod noceret, ſupereſſet. Damnabis indecoram Chriſtianæ virtuti, ſeſe perdendi (ſeruare falsò putant) ambitionem: & dolendum illud regnorum diuortium, quo fœderati ſanguinis ritus, apud inſenſos & obnoxios hoſtilitatis irritamenta ſunt; reſtitutumquè vetus Generi, & Soceri par, affectu plane non diſpari: niſi quod ibi recuperanda aut defendenda Patria obtentui; hic ferale tantùm odium, & impulſio quædam animorum, inueterata iam validaque opinione, integritatem, & amplitudinem vni, niſi alterius pernicie conſtare non poſſe. Pulcher hic vir-

tuti Tuæ campus, tumentes animos com-
ponere, intercedere calamitatibus, atrox
& furiale bellum, ſiue bellorum furias
pace opprimere: nec tam ſupra nos emi-
nere, quàm pro nobis, Cæloque Terriſ-
que oſtendere, quantùm in ſummo Im-
perio poſſint, Summæ Virtutes. Nam
voluntatem Tuam profacti pignore am-
plectimur; an & præclara iam medita-
menta initiatus es, cum grauem militem
Vrbi, & Vrbem milite exarmaſti, vt hoc
tanquam anteſignano Pacis oſtentamen-
to, ſubſecuturis actibus prologum dares.
Gratulare tandem Terrarum Orbis, non
iam Pontifici Tuo (nulla enim fælicita-
ti eius acceſſio) ſed Tibi de Pontifice;
multiſque calamitatibus infractam, &
collabentem Publicam Spem animoſior
reſume. Nec bellorum tantum crude-
litatem diſpendiaque reputa; ſunt, & pa-
ci ſuæ clades, pernicioſæ magis, quia mi-
nùs expoſitæ; & quibus vna ſubuenien-
di ratio, Bonus Princeps. Res dico, cùm
verba. Sanctiſſimus Pontifex eſt; lapſam
& corruptam Sanctitatem firmabit: inte-

gerrimus; ægra, & morbo laborantia redintegrabit: iuſtiſſimus; offendicula iuſtitiæ retundet: Pius, Clemens, magnanimus, prouidus; talis denique Princeps, qualé vix ſubditis votum de Principe. Et tu fatalis imperijs, maiorque iam Fama tua, Regina vrbium VRBS ROMA; obliqua in Te ſecretiores mentis oculos, Fortunamque tibi propitiam admirabunda expende. Remitte tandem cogitatione voluere GREGORIOS, LEONES, MARTINOS, PIOS, PAVLOS, CLEMENTES, VRBANOS, & illa virtutibus ſuis auguſta nomina INNOCENTIOS. Quidquid ex illis ſeu memoria laudat, ſeu fama, cum INNOCENTIO X. rediuiuum agnoſces. Nacta es Principem, incerta; Dominum venerabunda ſalutes, an Patrem? Certè iam, & nominum quædam confuſio eſt, an tu illi PATRIA, an ille tibi PATER. Vtrumque veritate non abierit; nam & Patria tu, quia naſcentis cunabula excepiſti, & per altiores ætatũ honorumq; gradus prouectum fouiſti, aluiſti: redditq; ille vicem, meliori titulo PATER iam tuus,

quia paterno ſinu protegit, vigilantia calamitates defendit; alimentaque clementer præſtat; vt dubitandum ſit, plùs hauſerit, an refuderit in dignitatem Patriæ; gloriæ, & quaſi Paternitatis. Age? quos præſenti fælicitate ſumpſiſti ſpiritus, in Cælũ attolle, ipſaque plenitudine exuberantia vota funde, profundo animo, ſpiranti affectu. Aeterne DEVS, cuius immenſa ditione, & arbitrio mortalium vniuerſa gubernãtur. altitudinem tuam humilitas noſtra demiſsè implorat, vt quod bonorũ in Pontifice Optimo indulgentia Tua Orbi cõceſſit, perpetuũ velis: addaſq. INNOCENTIO X. ætatem, quam meretur. Nam vouere nobis infrà audaciam eſt, qui (ſi nõ alia mortalitatis lex) deuota etiam pectora, ſaluteſq. pignoraremus: illi, vel diſpendio noſtro vitam fęneraturi. Annue, ò Magne DEVS? & iam de fortuna interea noſtra, de affluentia, integritate, & quidquid bonorũ nomine audit, anxietatem deponimus; ſalus, integritas, affluentia, fortuna, & vnus nobis omnia INNOCENTIVS.

Lipſ. varia. lect.

BIBLIOTECA